

A 231
3

00. J.

Hist.

III

C. 2.

ae 30
GOTTLOB FRIDRICI GVDII, AA. M.

V. D. M. LAVBAE LVSATORVM

DEMONSTRATIO HERMENEVTICA

QVOD

CHRISTVS

IN COENA SVA

ΣΤΑΥΡΩΣΙΜΩΙ

AGNVM PASCHALEM

NON COMEDERIT

RECUSA

ET AB OBIECTIONIBVS

VIRI CELEBERRIMI

CONRADI IKENII

S. TH. D.

EIVSDEMQUE IN ILLVSTRI BREMENSIVM LYCEO

PROF. P. O. ET AD AEDEM S. STEPHANI

PASTORIS PRIMARI

VINDICATA

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

GOTTLOB FRIEDRICH GVDII, A.A.M.

V. A. M. L. A. S. S. A. E. A. S. S. A. T. O. R. I. U. M.

DEMONSTRATIO HERMENEUTICA

DE

CHRISTVS

IN COENA SVA

ET APTΩ PΩ PΩ APTΩ

AGNYM PASCHALEM

NON COMESTIT

REGIA

ET AE. OLLICTIONIBVS

VIRI CELEBRITATI

CONRADUS KEHRLI

PH.D.

BLANDINO IN ALIIS ACADEMICIS LYCEIS

PROF. P. A. T. A. S. T. I. C. I. S.

PASTORIS RECTORII

VINDOBATAE

LITTAE

DE OFFICIO PASCHALEM





B. C. D.

§. I.



LIADA post HOMERVM canere videbor
iis, qui nec maiorum sententias ad mentis
trutinam reuocare, nec nouissime inuen-
tis aliquid addere, fas esse putabunt. Si
qua enim materia philologorum et criticorum operam
sollicitauit vnquam, certe, de *coena CHRISTI* *saug-
cipio* cum discipulis suis ea nocte, qua dolores, et cruciatus
eius ferales ipsi imminebant, habita, tanto cum studio,
quin tantum non semper maxima cum animorum ex-
acerbatione, inde a primis fere Christiani coetus incu-
nabulis ad hunc vsque diem disputatum fuit, vt quid
dubii, aut incerti hac in re superesse credi vix possit.
Quandoquidem modo *temporis mora*, qua a CHRISTO
celebrata fuerit? modo *eius forma* fuit indagata, vtrum
pro *pascuali*, an *vulgari*, et *profesta* sit habenda? Sed vel
ex hisce animorum dissensionibus facili negotio colligi
poteft, dubio *Marte* ab vtraque parte adhuc dimicari.

§. II.

Equidem triumphum fere illorum sententia ceci-
nerat, qui CHRISTVM, vno eodemque die, imo, eodem
A 2 temporis

temporis articulo vna cum iudaeis paschalem agnum comedisse docebant, agnique paschalis esum a CHRISTO anticipatum, vel penitus omissum fuisse profligabant. At vero ex improviso nouus infurgit hostis, bellum indicit, brabeum dubium reddit, et tam temporis huius, quam formae huius coenae adfertoribus arma infert. Quo enim ingenii iudicio temperati acumine, et rei exegeticae notitia pollet s. r. GEORGIUS LVDOVICVS OEDERVS, Antistes Feuchtwangensis, et Dioeceseos eius Decanus, tam in Observationum Sacrarum Syntagmate, p. 750. quam Parte XLII. selectae Theologicae Bibliothecae, p. 152. sequi ad oculum demonstrare, et solis, quod aiunt, disco exponere adlaborauit, quod CHRISTI vltima coena paschalibus epulis nequaquam adnumerari, sed vulgaris nonnisi, et quozidiana censeri debeat. Ex quo incassum eos laborare colligit, qui tempus coenae illius, vel iudaici Paschatos spatio respondisse, vel illud praeiuisse magno cum nisu discutere moliuntur.

§. III.

Id quod classicum aequos peritosque rerum arbitros ad sententiam ferendam denuo prouocauit. Quibus licet me haud adenseam, quum in arena illa viros eruditionis, munerumque dignitatibus me longe superiores defudare, et pro sua quemuis sententia certare videam; inficias tamen ire non possum, nouum OEDERI classicum varios menti meae scrupulos inieciisse, et me impulisse, vt in hypotheseos, cui haecenus subscripseram, argumentum, et fundamentum maiori cum industria inquirerem; ne amplius nubem pro Iunone tenerem, vel, vt a scrupulis ab OEDERO, et exiguo illorum ducum numero, quorum signa in acie secutus est, mihi iniectis me liberarem.

§. IV.

§. IV.

Quamobrem *doctrinali scepticismo* mentem meam instruendam esse duxi, vt extra partium studium posita, de dissensu illarum eo rectius iudicare posset. Euoluebam, et cum cura legebam modo huius, modo illius sententiae patronum, subducebam rationes, quas pro sua quisque causa allegauerat; At vero, quo diutius lectioni inhaerebam, eo incertior animus meus reddebatur, vt tandem exclamarem: *Obe satis est, incertum me fecistis probe!* Quam enim sententiam tot argumentis muniuerat ille, vt veritatem a partibus eius stare iurasset; illi tot, et tanta argumenta reponebat alter, vt, vnde se amplius contraria sententia tueri posset, non viderim. Neque hanc in discutiendo male collocari operam iudicabit vllus, qui cel. DEYLINGII dissertationem de *S. Eucharistiae origine ex ritu, et formula iudaeorum paschali non repetenda*, Lipsiae 1734. habitam perlegit. Negato enim, coenam CHRISTI emortualem fuisse paschalem, concidit *Reformatorum theologorum* argumentum, quod ex sensu formulae, qua in instituenda coena sacramentali vsus fuit CHRISTVS, ad iudaicarum paschalium formularum sensum adcommodatae petunt; vt *realem corporis, et sanguinis CHRISTI praesentiam in sacra coena destruant.*

§. V.

En tibi, *benevole lector*, dissensionum delineationem! Quotquot ego quidem perlegi auctores, ad *quatuor classes* reduci queunt. Nec est, cur dubitemus, quin etiam reliqui a cel. PFAFFIO in *Introductione in Historiam Theologiae litterariam* T. I p. 365. et WOLFIO in *curis philologicis, ad Matth. XXVI, 2.* citati huc referri possint.

CLASSIS I.

eos continet auctores, qui CHRISTVM in coena sua emortuali agnum paschalem vere comedisſe, licet non vna eademque ratione defendunt. Sunt enim

I. qui coenam illam paschalem a CHRISTO vno, eodemque die, nec non eodem temporis articulo celebratam fuiſſe docent; Quia

- 1) agnum paschalem nec extra templum, illegitimo tempore mactare nec intra licuiſſet vlli.
- 2) Iudaei decretorum legis tenaciſſimi, CHRISTVM transgreſſae legis accuſaſſent, ſi agnum paschalem iure citius comediſſet.
- 3) Praeterea vitae CHRISTI enarratores plus vice ſimplici perhibent, ſub finem diei emortualis CHRISTI agnum paschalem ex legis tenore mactandum fuiſſe.
- 4) CHRISTVM denique ad vltimum vitae ſuae halicum patris ſui dictis audientem eſſe negari nequit.

In hoc ſentientium coetu nomina ſua profitentur

D. FRISCHMUTHVS in pecul. diſſertat. de quaestione vexata: *utrum Saluator agnum paschalem eodem die cum iudaeis comederit?* Ienae 1674.

D. ALB. IOACH. de KRAKEWITZ in diſputat. de vltimo paschali domini noſtri IESV CHRISTI conuiuii. Roſtochii 1706.

M. ENGLERTVS de *paſchate* CHRISTI vltimo. Ienae, 1726.

D. MARPERGERVS in tr. de *agno ad arae cornua ligando*, p. 329. ſequi.

Illuſtris

Illustris Baro de CANSTEIN, f. T. SANDHAGENIVS, et RVSIUS in *Harmoniis suis Euangelistarum* ad hunc locum.

D. WOLFIVS in *curis philologicis* ad hunc locum.

D. HAVBERVS in *meditationibus harmonicis, de primis et ultimis CHRISTI actis*, p. 42. sequ.

RELANDVS, de *Antiquitatibus Hebraicis*, p. 405. edit. Lips.

BYNAEVS de *morte CHRISTI* L. I. c. I. et VI.

WITSIVS in *Meletematibus Leidensibus*, p. 421.

BVCHERVS in *observationibus critico-passionalibus*, diff. VI. p. 23. sequ.

GOODWINVS in tr. de *Mose et Aarone* L. III. cap. 7. vna cum HOTTINGERO, eius interprete.

Sed vero laudatis hisce viris cl. M. ADRIANVS HEROLD in disputat. prima, (plures an lucem adspexerint, me quidem haecenus latet,) de quaestione: *utrum CHRISTVS eodem die cum discipulis suis ultimum Pascha comederit, quo iudaei comederunt, an diuerso?* Vitemb. 1682. sequentia dubia opponit.

1) Si dies CHRISTI emortualis primus festi dies fuisset, iudaeis haud licuisset forensibus negotiis vacare.

2) CHRISTI dies emortualis dicitur παρασκευὴ τῆ πάσχα.

3) Iudaei eo die nondum comederant agnum paschalem teste IOH. XLIX, 28.

II. Dantur, qui CHRISTVM in agno paschali comedendo praeuenisse tradunt

* IVDAEOS ad vnum omnes

a) ex legis diuinae praescripto,

*) vnius diei spatio. Quia Iudaei ea aetate proprio

proprio auctu Paschatos festum in Sabbathum transtulerint. Cuius mutationis varias causas comminiscuntur.

Defendunt hanc sententiam, FLAGIVS, CHEMNITIVS, HVNNIVS, GERHARDVS in *Harmonia* P. II. p. 166.

ERASMVVS SCHMIDIVS ad *Matth.* XXI, 1.

LAMPIVS ad *Iob.* XVIII, 28.

HOSPINIANS de *origine festorum* p. 64. col. 2.

HEIDEGGERVS T. I. *selectarum dissertationum*, num. VI.

BVDDEVS in *Harmonia Euangelistarum* MSta. p. 263, et 276.

β) *aliquot horarum spatio.* Scilicet, quum tempus agno paschali maectando et edendo praefinitum dicatur, *inter duas vespervas*: et per hanc dictionem integrum *ὡς ἑσπερον* indigetur, sub cuius exordium aeque ac finem agno paschali vesce licuisset: CHRISTVM aiunt prima vespera, iudaeos autem altera vespera agnum paschalem comedisse. Ut itaque a neutra parte, nec a CHRISTO, nec a iudaeis lex diuina fuerit violata.

Excogitavit hanc sententiam IOH. HOORNBECKIVS in dissertat. de *coena*, Sect. II. §. 2. eamque

LVD. FERRANDVS, *ICtus Gallus in animaduersionibus suis in religionem christianam* T. I. Sect. VI. exornandam sibi sumpsit. Cuius apparatus

ENGLERTVS in *citata dissertatione sua*, in sententiae suae vsus magna ex parte conuertit. Rigoroso autem examini eandem subiecit, et refutauit WITSIVS l. c. p. 421.

b) *Contra diuinae legis praescriptum, ex dura necessitate*; propter vincula et mortem; quorum imminente vi im-

vi impeditus fuisset CHRISTVS, quo minus Paschalem agnum definito tempore comedere potuerit. Salua tamen eiusdem pietate in coelestem patrem. Quoniam

- 1) ipsi, vt legis Domino, diem sibi ipsi pro arbitrio eligere integrum fuisset;
- 2) Exemplo suo traditiones πατροπαράδοτους refellere voluisset.

Ad quae alii regerunt

- 1) Credi vix posse, quod hanc diuinae legis migrationem iudaei aequo animo tulissent, et silentio praeteriissent.
- 2) Euangelistas diem, quo CHRISTVS agnum paschalem comedisse vulgo creditur, *primum festi diem* nuncupare.
- 3) Probari non posse, quod iudaei patriae legis in obseruandis caeremoniis obseruantissimi ab institutione diuina eo tempore deflexerint.

Neque huius sententiae propugnatores vnā tibiam inflant, sed

alii, *vnū diem* praeripuisse CHRISTVM adserunt. Videantur I. H. MAIVS in dissert. de *tempore Pascha Christi ultimo*. Giesae 1712. M. WEIDLERVS in *animaduersionibus chronologicis in sententiam HARDVINI de ultimo Christi Paschate*, Vitemb. 1727.

alii, *integrum biduum*.

Videatur SEB. SCHMIDIVS in tr. de *Paschate*, P. III. c. 8. p. 398. Quem mascule refutarunt SAHMIVS, de *agno paschali, quem CHRISTVS ea nocte, qua tradebatur, cum discipulis comedit*. Regiomonti, 1712. Nec non RVSIUS in *Harmonia* T. III. p. 501. 517. IKENIVS in *dissertat. mox laudanda* L. p. 3. 37. 43.

B

* Quos-

* Quosdam IVDÆOS, qui

vel non ad σνδοον lunæ, sed ad eius Φάσχα in constituendo agni paschalis edendi termino respexerunt; eamque ob causam die XV. demum Pascha celebrarunt.

Defendit hanc sententiam LVDOVICVS CAPPELLVS in amicis suis collationibus cum CLOPPENBURGIO de supremo CHRISTI Paschate. Nec non PAVLVS PEZRONVS in diatribe, annexa illius Historiæ Euangelicæ. Et CONRADVS IKENIVS in dissertationum triaga, de tempore celebratæ a seruatore vltimæ coenæ Paschalis. Bremae, 1735, et 1739.

vel a GALILÆIS vnius diei spatio citius Pascha celebrantibus secessionem fecerunt.

Quæ sententia HARDVINO in dissertatione, de Paschate arripit, a WEIDLERO l. c. refutata.

CLASSIS II.

fistit eos, qui CHRISTVM quidem agnum paschalem comedisse negant; Pascha tamen aliquod commemoratiuum eius loco celebrasse adfirmant. h. e. Coenam, quæ ex herbis nonnisi amaris, et panibus azymis, Aegyptiacæ seruitutis memoriam recolendi ergo instructa fuisse. CHRISTVM enim, inquirunt,

- 1) eodem die mortem subiisse, quo agnus paschalis maectandus erat.
- 2) neque dici, quod Pascha suum sacrificauerit, sed tantum ederit.
- 3) Iudæos in διασποράῃ hodie degentes eiusmodi paschalem coenam sine paschali agno parare.

Huius

Huius ab sententiae partibus steterunt HUGO GROTIUS ad *Matth.* XXVI, et HAMMONDVS ad eundem locum, nec non ad *Marci* XIV. Sed vero duum-
uiris illis opponitur

- 1) Quod discipuli magistrum suum de parando paschate *δωσιμῶ* consueto tempore monuerint.
- 2) Quod Pascha *μνημονεύτων* sit *ἑθελοθησικεία*.
- 3) Quod id Paschatos genus, Iudaeis hodie viuentibus solemne, iam CHRISTI aetate in usu fuisse non possit probari.
- 4) Quod multo minus credi possit, CHRISTVM eiusmodi ritum ab institutione diuina prorsus alienum introduxisse.

CLASSIS III.

eos complectitur, qui coenam paschalem a CHRISTO celebratam esse prorsus negant, et nonnisi vulgarem, et ordinariam coenam cum discipulis instituisse CHRISTVM contendunt.

Hanc sententiam post graecos primae aetatis doctores fouent

M. ANTONINVS de DOMINIS, de *republica Ebraeorum* L. V. c. 6. §. 207.

HIERONYMVS VECCHIETTI in *peculiari libro chronologico de anno primitiuo* L. III. c. 33. Cuius sententiae poenam rigidioribus cenforibus dare coactus fuit.

NICOL. TOINARDVS in *obseruationibus, de ultimo CHRISTI paschate, Harmoniae Euangelistarum, quae gallico idiomate* 1716. prodiit, adnexa.

BERNARDVS LAMIVS in *Harmonia ad h. l.*



- DEYLINGIVS in *obseruationibus sacris* P. I. p. 233, et in *Miscellaneis Lipsiensibus* T. II. de die CHRISTI *emortuali*; Nec non in *dissertat. theologica de sacrae Eucharistiae origine ex ritu, et formula iudaeorum paschali non repetenda*. Lipsiae 1734. §. 20. sequi. inserta deinceps T. IV. *Obseruationum miscellanearum*.
- ZELTNERVS in *adnotationibus suis ad Biblia vernacula ad Lucae XXII, 14. et Ioh. XVIII, 28.* Nec non in *Breuiario controuersiarum cum ecclesia graeca, et ruthenica* p. 229.
- OEDERVS locis supra citatis.
- HERMANNVS in *historia concertationum de pane azy-mo, et fermentato in coena Domini*, p. 232.

CLASSIS IV.

exhibet, qui hac in quaestione solutu difficili τὸ ἐπιχειρῶν arripiunt. Quorum ex numero mihi innotuerunt THOMAS ITTIGIVS in *Historia ecclesiastica* Sec. I. c. 7. Sect. I. p. 408. scribens: *Vtra autem sententia alteri sit praefenda, libero cuiusque iudicio relinquo.* MOSHEMIVS in *Operibus CVDWORTHII latine redditis*, de vera coenae Domini ratione, p. 22. *viderint, inquit, illi, qui hanc controuersiam tractant, vtri accedendum sit? ego longe minorem et ingenio, et doctrina me esse arbitror, quam, vt iudicis hic partes sustinere queam.*

§. VI.

Tantopere fluctuant animis, quorum erat causam perorare, litem dirimere! Miseros homines, qui nonnisi ab auctoritatibus magistrorum dependent! Vbinam deum erit portus in quem animum suum adpellant? Certe

Certe vitio vertendum erat nulli, quod hac in re veritatem adsequendi animum abiiceret, ac cum celeberrimo ITIGIO, nec non MOSHEMIO silentio eam praeterire mallet, quam tot dubiis, tantisque difficultatibus se diutius relinquere, quae vix ac ne vix quidem superari posse videntur.

§. VII.

Hanc itaque in sententiam mens quoque mea variis sententiarum procellis iam agitata inclinare inchoabat. Sacris vitae CHRISTI scriptoribus rem, de qua litigatur, non expressis verbis definientibus. Hinc enim euenit, vt adfirmandi pariter ac negandi licentiam sibi concessam esse crediderint dissentientes. Sed adhuc dubitanti suppetias tandem promiserunt *circumstantiae huius coenae, a Scriptoribus sacris recensitae*. Has enim non tantum omissam recensionem verbalem supplere, sed consensu quoque suo summam probabilitatem demonstrationi aequiparandam parere memineram. Quam ob rem coenae illius circumstantias, quarum scriptores sacri mentionem fecerunt, data opera conquirendas esse duxi, vt deinceps earum ductu conclusio eliciatur, quae controuersiam dirimat; cuiusnam formae CHRISTI emortalis coena fuerit?

§. VIII.

Id quod itaque faustum sit, atque felix, sepositis dissentientium auctoritatibus, *circumstantiarum*, vel quas philosophi dicunt, *historicarum sensuum*, quas circa CHRISTI coenam *σαυωσιμων* nobis suppeditant scriptores sacri, collectionem ineamus; iisque collectis videamus, quam sententiam, conclusionis ad instar procreent.



CIRCVMSTANTIA I.

Agnus paschalis a Iudaeis sub vesperam diei XIV mensis Abb, seu Nisan mactandus, et in nocte, quae vesperam illam excipiebat, diemque XV eiusdem mensis excor- diebatur, comedendus erat.

S C H O L I A.

I. Id temporis spatium definiuerat summus legislator, quando Israelitas ex Aegypto, durissimo illo erga- stulo educebat, referente MOSE, Exodi XII, 6, 8. Leuit. XXIII, 5. Siquidem admirandam hanc, et plane stu- pendam seruitutis liberationem die XV huius mensis factam serae posteritati per hanc coenam in memoriam subinde reuocare volebat NVMEN. Quapropter sta- tutum illud tempus transilire non licebat vlli; nisi qui hoc die immunditiae laborabat, aut alia quacunque ra- tione impeditus erat, quo minus paschalem agnum com- ederet. Huic enim die XIV sequentis mensis Iiar pascha, quod secundum, seu paruum dicebatur, celebran- dum erat, docente MOSE, Num. IX, 10. sequ., et RE- LANDO in Antiquitatibus Hebraicis, p. 396. Nec pro- bari potest Iudaeos patriae legis externi cultus caere- monias, praescribentis tenacissimos definitum Pascha- tos diem, saltem ante posterioris dispersionis suae aeta- tem praeteriisse vnquam; quippe qui hoc festum certo temporis spatio adstrictum ipsam Sabbathi celebratio- nem pellere crediderunt. Videatur RELANDVS l. c. p. 398.

2. Neque a legitimo Paschatos celebrandi tempo- re iudaeos recedere sinebat sacerdotum suorum cura, quippe qui iam CHRISTI aeuo embolismos, seu inter- calationes, annorumque et mensium principia, nec non dies,

dies, in quos festa incidebant, in tabula *Synedrii magni* foribus adfixa signabant, vt festorum termini ad singulorum notitiam peruenirent. Eruit hanc sacerdotum curam notatu dignissimam BYNÆVS de morte CHRISTI L. I. c. 1. §. 17. p. 23. ex *Chaldaeo Paraphrasæ Cantici canticorum* ad c. VI, 4. obseruante: *Scribae tui pleni sunt sapientia sicut piscinae aquarum; et sciunt constituere rationes embolismorum, et intercalant annos, et signant principia mensum, et annorum in porta domus concilii magni.* Nec non ex MAIMONIDIS *Kiddusch Hackodesch* cap. V. sect. 3. p. 56. *Quando primum coepit totus Israel supputare iuxta hunc computum? (sc. סגוריאס lunæ et solis) post finem sapientum Gemarae, cum desolata esset terra Israelis, neque amplius in ea fuit domus iudicii fixa. Sed in diebus sapientum Misnae, et similiter in diebus sapientum Gemarae, usque ad dies ABIAE, et RABBAE, a decisione terrae Israelis pendebant reliqui iudaei.* Conferatur SELDENVS de iure naturae et gentium iuxta disciplinam Ebraeorum p. 201. Discrimen Paschatis Aegyptiaci, et generationum exponit RELANDVS, in *Antiquitatibus sacris veterum Hebraeorum* p. 397., et TRESSENREVERTERS in *pecul.* dissertat. *Altdorffii*, 1739. habita. Quibus vero in circumstantiis sibi inuicem respondeant verbis Rabbi AHARONIS, filii ELIAHV docet SCHVPPARTVS in *diff. de secta KARAEORVM* p. 143. nota (o)

3. Quid sibi velit dictio בין הערבין *inter duas vespas*, ii omnium optime interpretantur, qui illud temporis spatium indigitari censent, quod ipsam meridiem sequitur, quo sol ad occasum vergere incipit, et, quod ad plenum solis occasum perdurat. Quum enim vox ista hebraea *singulari numero* haud careat, *dualis numeri* vsus non oscitanter considerandus venit. Respondet Hebraeorum diei spatia diuidendi mori dictio illa dualis.

dualis. Diuidebant nimirum pomeridianum tempus in duplicem vesperam, quarum prior ipsam meridiem statim sequebatur, posterior solis occasum antecedebat. Quam diuisionem nec aliae gentes abhorruerunt. HESYCHIO enim perhibente *Graecis duplex vespera fuit: vespera matura, tempus a prandio, et vespera sera circa solis occasum.*

4. Iudaei dies suas a vespera praecedentis diei ad vesperam sequentis diei computarunt, filo ipsius SPIRITVS SANCTI praeunte, *Gen. I, 5.* In primis *festos dies suos* ab antecedentis diei vespera ad sequentis diei vesperam profecuti fuerunt, iubente summo NUMINE *Leuit. XXIII, 32.* Hinc R. IAC. ABENDANA ad *Exodi XII. de Paschatos* institutione scribit: *En, discimus ex hoc loco, quod dies non a matutino tempore, sed a vespera initium ducat suum.* Et MAIMONIDES de *Paschate* tradit: *Paschatos agni maectatio fit elapsa meridie. Non maectant eum nisi post sacrificium vespertinum. Postquam aprauerunt lucernas, incipiunt maectare Pascha, usque ad finem diei, quod si etiam post meridiem ante vespertinum sacrificium inter duas vesperas offerri solitum maectauerint, illa quoque maectatio pro legitima habetur.* Idem in *Hilcoth Chamez Vmazza C. II. §. 3.* refert; *ab ineunte nocte, quam consequitur dies XIV Nisan, lucernam conquiri ad destruendum panem fermentatum, cum quia noctu suae quisque domi est, tum quia ad perquisitionem lucerna maxime est idonea. Itaque ad extremum diei XIII Nisan nullae habentur scholae; nec doctorum vllus legere quicquam coepit, ne forte legendo proirabatur atque adeo a matura, et tempestiua panis fermentati perquisitione deterreatur.* Hanc ob computandirationem vespera, qua CHRISTI corpus sepulchro inferebatur *Sabbatum* iam illuxisse recenset *LVCAS cap. XXIII, 54.*

5. Qui

5. Qui per canonem כר"ב (quo cauebatur, ut Pascha secundo, quarto, et sexto hebdomadis die celebraretur, ne Sabbathum illud sequeretur, atque per duos dies a laborando cessandum esset) Paschatos festum in Sabbathum nonnunquam translatum esse sibi aliisque persuadere satagunt; non perpendunt, canonem illum iudaicum CHRISTI aëvo longe recentiorem esse. E contrario in ipso TALMVDE, tr. *Massechet Succa*, cap. 5. praecipitur: *Festum Sabbatho coniunctum siue antecedit, siue subsequatur.* Referente FRISCHMUTHO, l. c. DEYLINGIO in *obseruat. sacris* P. I. p. 241. §. 13. IKENIO *disputat.* 2. p. 18. sequ.

6. Praeterea, quicumque binis interdum diebus, paschalem agnum mactatum, et consumtum fuisse tradunt, sine tabulis hanc festi repetitionem supponunt. Amplexus est hanc sententiam laudatus IKENIVS, vt CHRISTVM in coena sua emortuali agno paschali usum fuisse eo facilius adserere posset. KARAEORVM enim controuersiam, quam cum PHARISAEIS de tempore Pascha celebrandi agitarunt, in auxilium vocat: *Vtrum ex conspectu lunae, an ex calculo astronomico nouilunium sit determinandum?* Illum igitur quum sequuti essent KARAEI, hunc PHARISAEI, saepius euenisse adfirmat, vt KARAEI PHARISAEIS Paschatos festum vno die citius celebrassent. vid. eiusdem *Diss.* 2. §. 10. sequ. At enimvero sententiam suam, quantum satis erat, ab obiectione praecuisa licet, nondum muniuit: *Quod KARAEIS externum cultum pro priuatis suis sententiis immutare concessum fuerit.* Detur ipsi, 1) KARAEORVM familiam CHRISTI aëvo iam extitisse, 2) KARAEORVM sectam cum SADDVCAEIS et BAITHOSAEIS fecisse. 3) KARAEOS vna cum SADDVCAEIS maximam HYRGANI aetate auctoritatem consecutos fuisse, 4) SAD-

C

DVCAEOS

DVCAEOS KARAEORVM adfeclas fynedrio adfedisse, imo ad summi pontificatus dignitatem euectos fuisse. Tamen haectenus IKENIO scriptorum sacrorum, et IOSEPHI silentium aduersatur, quod ex hac sententiarum dissidio *Paschatos* festum per binos aliquando dies celebratum fuerit. Quamuis enim a scriptoris cuiusdam silentio ad rem aliquam pernegandam non tuto semper concludi possit; tamen nec sine testium auctoritate et fide in Historia quicquam adserere et fingere licet. Accedit, quod IOSEPHVS, ab ipso IKENIO in scenam productus *Anriqu. iud. L. XVIII. c. i.* contrarium statuat, PHARISAEOS tanta apud populum auctoritate polluisse, vt ὅποια θεῶν εὐχῶν τε καὶ ἱερῶν ποιήσεως τῆ ἐκείνων τυγχάνουσι, προσόμενα. h. e. *Quaecunque ad religionem spectant, supplicationes et sacrificia ex ipsorum interpretatione fiant.* Ecquid autem hisce verbis, quae ex gestis PAVLI, ad fynedrium delati, *Aët. XXIII, 6-9.* lucem haud obscuram foenerantur, IKENII coniecturam fortius refutaret? Equidem coniecturae suae adiecta verborum limitatione succurrere tentat IKENIVS; quasi de iis nonnisi ritibus sacris IOSEPHO sermo esset, qui unica tantum ratione peragi potuisset; e. g. de iniectione suffitus in ignem die expiationis, quam SADDVCAEI in Sancto, ante velum, PHARISAEI intra sanctum sanctorum fieri voluissent. Agnum vero paschalem binis se inuicem sequentibus diebus mactari, et comedi potuisse. Ergo utrique sentientium parti relictum fuisse sensu suo abundare. Sed quis vel me nec monente perspiciat limitationem illam ab IKENIO repertam esse, vt sententiae suae inferuieret, vt eam magis magisque exornaret? videatur eiusdem *Dissertatio III. §. 9. p. 14.* Liceat ipsi iterum opponere, quae HARDVINO galilaeos *Paschatos* festum anticipasse, adserenti, iam opposuit DEYLINGIVS, ad iudaicum canonem,

rationem, quem MAIMONIDES in *Kiddusch Hackodesch* cap. II. §. ultimo, excitauit, l. c. p. 242. prouocans: *Domus iudicii cum consecrasset Neomeniam, siue id ex errore, aut ignorantia, aut etiam vi fecisset, tamen erat consecrata, ac tenebantur omnes figere festa secundum illum diem, etiamsi quis nosceret errorem. Tenetur enim niti eorum iudicio, quoniam hoc negotium nemini traditum est, quam illis. Itaque sine cortice natant, quicumque Paschatos festum diuersis diebus celebratum fuisse tradunt. Fide digniora nobis videntur, quae de KARAEIS tradidit cl. SCHV-PARTVS in *diff. de Secta KARAEORVM* p. 47. Multi erant, qui a Sadducaesimo abhorrebant nimium quantum: sed in hoc de lege orali articulo amicas iungebant manus. At vero non haec, vt publice propugnarentur e re erat, habenda temporis ratio, quia omnibus viribus contra nitebatur. Pharisaeica obstabat autoritas, quo minus in neruum erumperec lis haec. Nec erat, vt de Sadducaeorum sibi gratularentur patrocini; dissonantia in reliquis fidei dogmatibus ultima quaeuis minitabatur. Qua propter necessitatis lege mussitarunt haec.*

7. Omnium maxime ENGLERTVS a scopo aberrauit, qui agnum paschalem non sub finem, sed sub diei XIV initium mactatum, et consumtum fuisse docet. Contra diuini praecepti litteram, omnesque iudaicorum rituum interpretes, ex quibus ad RELANDVM in *Antiquitatibus Hebraicis* P. IV. c. II. §. 13. prouocasse iam sufficiat docentem: *Hodie quoque iudaei in ephemeridibus suis notant ad diem XIV Nisan, esse vesperam Paschatis; ad diem XV, diem primum Paschatis; ad diem XVI, diem secundum, et ad diem XXI, diem septimum Paschatis. Conferatur OEDERVS P. LXII. bibliorb. Theol. selectae* p. 173. aduersus ENGLERTI ^{edemque} disputans, nec non WIT-

SIVS in *Meletematibus Leidensibus* p. 421. contra FER-
RANDVM insurgens.

CIRCVMSTANTIA II.

*A*gnum paschalem nec in alio loco, quam in templo ma-
ctare, nec in alia vrbe, quam HIEROSOLYMIS
comedere fas erat.

S C H O L I A.

I. Iniunxerat hunc maectationis et consumptionis
locum iudaeis summus legislator, *Deut. XVI, 2, 5, 6, 7, 16.*
Cuius mandati etiam obseruantes fuisse docet MAIMO-
NIDES, citante IANTZENIO de *paschate CHRISTI*
καυροσιμα, *disputat. I. p. 50.* Non maectandum erat Pascha,
nisi in atrio, ubi reliqua sacrificia maectantur. Qua in re
neque RABBANITIS contradixerunt KARAEI, qui
potius ex vnus scripturae fontibus morem illum con-
firmarunt, teste SNABELIO in *Amoenitatibus Theologi-*
cis de Agno paschali, p. 246. et BYNAEO de *morte CHRI-*
STI, L. I. cap. I. §. 23. p. 34. sequ. nec non IKENIO
disputat. II. P. I. §. 3. Nisi quod tacente licet diuina
lege in conclauius circa sanctuarium paschalem agnum assa-
uisse, et comedisse maiores tradant KARAEI, docente
SCHVPARTO l. c. p. 136. sequ. Nonnisi vnicum altare
in terra Canaan ferebat summus legislator, quia illud
Messiae vnus, et solius mediatoris typum esse volebat, ad-
ferente CRAMERO de *ara exteriori templi secundi* p. 9.

2. Locum in quo NOMEN DEI habitat, *templum*
fuisse dictum, dubitationi locum vix admittit. Foederis enim arca in templo, eiusque sanctissima parte repo-
sita erat. Equidem et vrbs HIEROSOLYMA *locis san-*
ctis adnumerabatur, vrbs tamen sanctitate superabat
templum.

templum. Docente RELANDO in *Antiquitat. Hebraeorum* p. 70. In templo nonnisi paschales agnos mactandos et donec templum stetit mactatos fuisse ex MAIMONIDE denuo probat f. r. MARPERGERVS in tract. *de agno ad arae cornua ligando*, p. 31. *Toto tempore, quo mactabant, et offerebant agnum paschalem, eiusque sanguinem, Leuitae recitabant 70 HALLEL. Si absoluerant illud HALLEL, nec congregatio perfecisset, tertio id inchoabant.*

3. Exules itaque ex vrbe, et templo carentes hodierni Iudaei prohibentur, quo minus paschalem agnum mactent, et comedant.

4. Qui in urbem sanctam definito tempore venire non poterant, iis per *Pascha secundum* confulebatur. *Num. IX, 10, 11. 2 Chron. XXX, 1 sequ.*

CIRCVMSTANTIA III.

Quamuis singulis familias patribus paschales agnos in templi atrio mactare licuerit; solos tamen sacerdotes decebat sanguinem pehui excipere et ad altaris basin effundere, nec non agnorum adipem in altari adolere.

SCHOLIA.

I. Israelitis omnibus paschalem agnum mactandi licentiam largiebatur lex diuina, *Exodi XII, 6.* Neque in sacris, neque iudaicorum magistrorum scriptis reperitur locus, qui sacerdotibus solis hanc prouinciam vindicaret. In *Paschate*, quod iudaicorum sacrorum instaurator HISKIAS celebrat, mactandi vices gerebant *Leuitae*, loco illorum Israelitarum, qui polluti erant. *2 Paral. XXX, 13-17.* Iudaicorum scriptorum loca excitarunt alii. PHILO iudaeus L. III. de vita MOSIS recenset: *Quo festo, non ut alias plebei homines victimas*



ad altare adducunt a sacerdote maectandas: sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque hostiam offert, et propriis manibus immolat. Consentit Talmud Hierosol. Mass. Pefachim. c. V. recensente MARPERGERO l. c. p. 303. Pascha maectatur in tribus turmis, sicut dicitur: Et maectabit eum omnis coetus congregationis Israel, Exodi XII, 6. sc. coetus et congregatio et Israel. Ingreditur turma prima - - - Maectat Israelita, et accipit sacerdos sanguinem. R. BARTENORA ad Pefachim Cap. V. Misn. 6. Maectatio legitime peragitur per quemlibet Israelitam in omnibus sacrificiis.

2. Leuitas tamen prae reliquis Israelitis maectandi officium interdum obiisse haud obscure colligitur ex 2 Chron. XXXV, 10, II. Esra VI, 20.

3. Alia erat ratio excipiendi, adspargendi, et profundendi sanguinem ad altaris basin. Quae munia, non Israelitae singuli, sed sacerdotes nonnisi obibant. Audiamus R. ABARBANELEM, qui in commentario Leuiticum illustrante decem res in sacrificando numerat, quarum quinque ab offerentibus, quinque autem a sacerdotibus solis peragenda fuerant. OFFERENTIVM erat 1. manum imponere victimae capiti. 2. maectare. 3. excoriare. 4. dissecare. 5. extra abluere. SACERDOTVM erat, 1. sanguinem pelui excipere. 2. eum altari adspargere. 3. ignem super altare accendere. 4. ligna digerere. 5. partes carniuum igni imponendas disponere.

4. Paschaliu agnorum adeps in altari adolendus erat. Colligimus hanc circumstantiam ex Exodi XII, 10. XXIII, 18. Leuit. XVII, 6. videatur IANTZENIVS l. c. p. 25. Confirmat nos MAIMONIDES in Hilcoth Korban Pefach. c. I. §. 6. docens: Sanguinem paschatis ad basin altaris effundere oportet, et post sanguinem effusum illud pelle

pelle demudant, et ex eius ventre difflſſo extorum adipēs educunt, et eos adolent in vnoquoque ſacrificio ſeorſim, et ſacrificii dominus Paſcha ſuum vna cum pelle auferens deſert in domum, quam habet Hieroſolymis, et aſſatum veſpere comedit.

5. Haec propter circumſtantias ſacrificii nomen, et formam induebat agnus paſchalis. Teſte MOSE, Exodi XII, 27. Num. IX, 7, 13. Vid. BVDDEVS in Inſtitut. Theol. Dogmat. p. 753. et IANTZENIVS l. c. p. 19-27. nec non TRESENREVERTERVS l. c. p. 26. §. 9.

CIRCVMSTANTIA IV.

CHRISTVS, hac in terra verſatus Leuiticae Legi ſe ſubiecit, eiusque praeceptis morem geſſit perfectiſſimum, vt ſe typorum, quos ante eius aduentum, et lytri ſolutionem lex Leuitica iudaeis praebebat, antitypum gereret; ac perfecta eius impletione, illam aboleret vniuerſam.

SCHOLIA.

I. Legis auctor et vindex erat CHRISTVS ipſe, ſed ὑπὸ νόμου viuebat ſponte, ἢ καὶ τὸς ὑπὸ νόμου ἐξαρροῦσαν. Gal. IV, 4, 5. Igitur a primis indutae humanae carnis incunabulis vſque ad expiatoriam mortem ſuam Legiſ Leuiticae normam ſectabatur, vt iuſtitiam adimpleret omnem. Nec ab aduerſariis et accuſatoribus ſuis, ſrenuis Leuiticae Legiſ deſenſoribus violatae huius Legiſ iure meritoque accuſari potuit. Igitur nec in Paſchate celebrando diuinam regulam migravit.

2. Sed hic occurrit nobis IKENIVS, et, vt ſententiam ſuam, CHRISTVM vna cum non exiguo iudaeorum coetu citius paſchalem agnum comediſſe, ſuſſulciat, perſuadere nobis ſatagit; eundem non PHARISAEOS, ſed KARAEOS

KARAEOS *hac in re secutum fuisse*. Videatur eiusdem *Diff. 3. §. 5. sequ.* At vero tunc demum in IKENII castra transibimus, quando probatum dederit, 1) Quod KARAEIS facultas fuerit PHARISAEORVM placitis se publice opponendi, eaque immutandi. 2) Quod KARAEORVM ratio tempus, quo Paschatos festum peragendum fuerit, designandi diuinae legi magis responderit quam PHARISAEORVM, eamque ob causam a CHRISTO praelata. KARAEOS enim, si qui CHRISTI aetate exiterunt, variis etiam erroribus infectos fuisse, ex minis, quas in eos proiecit CHRISTVS, *Lucae XI, 45.* intelligi potest. Iis enim KARAEOS petiuisse existimat TRIGLANDIVS in *Diatribae de Secta KARAEORVM*, cap. VI. p. 209. 3) Quod tempore Paschatis illius *σαυωσιμης* festum determinandi diuersus calculus obtinuerit, ut eam ob diuersitatem CHRISTVS vna cum aliis iudaeis KARAEORVM sectae addictis, vno die citius quam PHARISAEI festum illud inchoandi ansam habuerint. Ipso enim IKENIO dissertat 2. §. II. p. 29. docente, *primus Paschatos dies, secundum illos, qui cum PHARISAEIS astronomicum calculum sequuti fuerunt, idem saepe fuit cum illo, qui cum KARAEIS ex Φάσας illum definiuerunt.* Quibus igitur ex fastis circa Pascha CHRISTI *σαυωσιμων* disensum, quem supponit IKENIVS, vere contigisse demonstrat? Nobis itaque de adfertis eius dubitandi veniam largiatur.

3. Equidem in *discrimine Paschatis Aegyptiaci, et generationum* sententiae a nobis relictae praesidium inuenisse sibi videtur s. r. TRESENREVERTERS in dissertatione de illo conscripta, et a nobis iam laudata. Sub finem enim illius Cap. II. §. 13. *Nobis, inquit, eorum sententia placet, qui admissio discrimine inter pascha aegyptiacum,*

ptiacum, et generationum statuunt, CHRISTVM consuetudinem huius posterioris paschatis imitatum esse. Cum enim SERVATOR mores sui saeculi, qui citra peccatum observari poterant, non respuerit, nullum prorsus dubium est, quin etiam receptae consuetudini in celebratione paschatis se subiecerit. Nec obstant verba illa SUMMI NUMMINIS, Num. IX, 3. Hoc enim mandatum recte de actibus in paschate necessariis, quales sunt, separatio, mactatio, assatio, et comestio agni, intelligitur, male vero ad circumstantias horum actuum, quae non potuerunt non esse variae, quemadmodum euicimus, extenditur. Nec video profecto, quare nonnulli in explicando accubitu SERVATORIS tam aegre discrimen inter pascha aegyptiacum, et generationum admittant, cum omnes circumstantiae illud necessario postulent. Recte notarunt Euangelistae, CHRISTVM non quarto die ante festum, sed paullo ante de praeparatione ad pascha cogitasse, Matth. XXVI. v. 17. Marci XIV, 12. recte obseruarunt, ipsum inter coenandum, hymnum illum consuetum cecinisse, et coena soluta, domo egressum, extra urbem se contulisse. Quomodo quae se haec explicari poterunt, nisi concesso discrimine inter pascha aegyptiacum et generationum? Enimuero, quidnam adiumenti sententiae vulgo receptae discrimen illud obseruatum adferat, perspicere mihi non licet. Equis enim dixerit CHRISTVM in comedendo paschali agno aegyptiacos mores seruare debuisse, aut voluisse? Quum vel aliis iudaeis ab iisdem recedere permissum fuerit. Sed neque moribus post introitum in terram Canaan introductis se adstrinxit CHRISTVS vltima coena vsus, nec ad seruandos illos obstrictus esse potuit, quia definitum tempus paschalem agnum comedendi nondum adparuerat. Paschalem igitur coenam celebrasse CHRISTVM iure meritoque negatur.

D

CIRCVM-

CIRCUMSTANTIA V.

Dies, quo CHRISTVS cruci adfixus animam suam coelestis Patris sui manibus sponte reddidit, erat dies XIV mensis Abibb, seu Nisan; dies, quo exeunte agnus paschalis a iudaeis ad diuinum praeceptum macltandus, et confini diei XV. auspicio comedendus erat.

S C H O L I A.

1. Iudaei sibi religioni ducunt praetorium ingredi, ne impuritatem sibi contraherent, indignique redderentur, qui Pascha comederent. Ethnicos enim pro vxoribus menstruo laborantibus, quarum contactus illicitus erat, habebant iudaei, docente SELDENO de iure naturae et gentium secundum disciplinam Hebraeorum L. I. c. V. p. 176. Paschatos autem vocem ipsum agnum paschalem significare vindicat DEYLINGIUS Obseru. sacr. P. I. p. 233. §. 6. p. 236. OEDERVS in Obseruationum sacrarum Syntagmate p. 750. et in Bibliotheca theologica selecta P. LXII. §. 2. MAIVS l. c. Sect. I. §. 6. HEROLD. l. c. §. 4.

2. Qui per Pascha panem ἀζυμον indigitari putant, non aequa mentis lance trutinant, panem ἀζυμον a puris aequae ac impuris iudaeis comedendum fuisse, quoniam fermentato pane paschalibus feriis prorsus destituti fuerunt iudaei.

3. Neque ad sacrificia, paschalibus feriis offerenda, respicere poterant iudaei, eo quod illa Paschatos nomine insignita fuisse nondum euictum est. Adstruit hunc vocis sensum RELANDVS l. c. p. 408. Mascule autem

autem refutat id sentientes IKENII *dissertat.* I. §. 2. sq. Praeterea, vel saluo hoc vocis sensu *sacrificiorum forma*, nullum plane dubium, praetorium ingressuris iniicere valuit. Sacrificia enim vel *holocausta* erant, vel *pacifica* et *salutaria*. Illa autem non edebantur, sed comburebantur; haec autem non tantum ante paschalis agni immolationem, sed quoque post illam reliquis festi diebus comedere licebat. Ad ingentem victimarum copiam Psalm. CXVIII, 27. respici docet CRAMERVS de ara templi exteriori p. 69. *Multitudinis enim, inquit, argumentum facit, si alia atrii loca animalibus tam referta essent, ut ad arae latera eas admo-neri oporteret, quo Israelis vulgus raro admittebatur.*

4. Diem CHRISTI *emortualem* non modo LUCAS in genere, et simpliciter *παρασκευήν* cap. XXIII, v. 54. adpellat, sed IOHANNES quoque speciatim *παρασκευήν τῆ πάσχα*, cap. XIX, 14. nuncupat. Equis vero hac ex appellatione non colligat paschalem agnum eo temporis spatio a Iudaeis adhuc comedendum fuisse? Non est, quod BOCHARTO in *Hierozoico* suo docenti credas, LVCAM excitato loco diem illum quasi NOMINE SVO PROPRIO indicasse, quemadmodum ROMANI diem illum, *Veneris diem* dixerunt, licet FRISCHMUTHVS *l. c.* cap. II. §. 15, 16. BOCHARTO calculum suum, eiusque sententiae ex *Arabum* consensu novum robur adiiciat, aliosque in partes suas vocet. IOHANNES enim iis aduerfatur, diem CHRISTI *emortualem* non simpliciter *παρασκευήν*, sed cum adiectione vocis *τῆ πάσχα* adpellasse. Qui hanc dictionem cum FRISCHMUTHO Germanorum *idiotismo* aequiparare voluerit, quibus solemne

est dicere: *Oster: Montag, Oster: Dienstag*, is quidem μεταβασις εις άλλο γένος committere, et orientalis linguae genium ad occidentalis linguae indolem inique diiudicare videtur. Canoni a MARCO ANTONINO de *Dominis* L. V. de *Republica Ecclesiastica* cap. 6. praescripto: *Nullum festum proprie habet parasceuen, nisi sabbathum*; opponimus Rabbiorum regulam, a IOSEPHO SCALIGERO de *emendar. temporum* L. VI. p. 533. communicatam: *Quicumque facit opus in vesperis, siue, in παρασκευαίς Sabbathorum, et dierum festorum ab oblatione vespertina, et ultra, non videbit unquam bonum signum benedictionis.* Vid. DEYLINGIUS l. c. p. 234. Consentit nobiscum IKENIUS *Disp.* I. cap. 2.

4. Quicumque CHRISTVM ipsis festi auspiciis passum, et mortuum esse adferunt; non meminisse videntur, quod per sacram congregationem primo festi die instituentiam iudaei prohibiti fuerint, quo minus CHRISTVM capere et accusare potuerint. Siquidem primum Paschatos diem ciuilia, et capitalia iudicia dedecebant, docente DEYLINGIO ex MAIMONIDE. p. 237. Diebus autem parasceuaisticis facinorosos capite plectere solebant. Referente RELANDO l. c. p. 386. Multo minus ipsis festi auspiciis IOSEPHVS et NICODEMVVS funus CHRISTI curandi veniam habuissent. *Funerum enim curatio primo festi die pariter ac sumendum supplicium erat indigna.* Praeterea Sabbathum CHRISTI mortem excipiens IOHANNI dicitur cap. XIX, 31. ἡ μεγάλη ἡμέρα. Luculento quod Sabbathum illud, primus Paschatos dies fuerit, qui aequae ac aliorum festorum ultimus dies ἡ μεγάλη dicebatur. Videatur IOH. VII, 37. RELANDVS l. c. p. 389. et IKENIUS *diff.* I. cap. 3.

5. Astro-

5. *Astronomicos calculos* in subsidium vocat f. r. DEY-
LINGIVS, p. 238. et 239. et ex iis affatim demonstrat,
Paschatos auspicia, anno CHRISTI emortuali, quem
XXXIII. *Aerae vulgaris* fuisse *Astronomi* peritissimi do-
cent, in diem, quem *Romani* VENERIS dicunt, in-
cidisse. Quam ob rem *dies* quoque CHRISTI emor-
tualis non pro XV, sed pro XIV die mensis *Nisan*
est habendus, donec error in ponendo calculo admis-
sus ostendatur. Idem probat saepe laudatus IGE-
NIVS, praecunte DEYLINGIO §. 12. p. 240. ex festi
Pentecostes, mortem CHRISTI secuti calculo, *Diss.* I.
p. 52. sequi. *Septimo loco* collocamus argumentum, quod
illustris SCALIGER ex collatione festi *Pentecostes* de-
sumit. Cum enim apostolos eodem cum iudaeis die festum
hoc celebrasse ex Act. II. constet, omnibus autem christianis
ab ultima antiquitate creditum sit, festum *Pentecostes* anno
passionis, in diem dominicum incidisse, hinc retronumeran-
do ab hoc festo secundus *Paschatis* dies, unde usque ad fe-
stum *Pentecostes* inclusivae 50 dies erant, *Leuit.* XXIII,
15, 16. incidet quoque in diem dominicum, *Sabbatum*que
adeo praecedens *Paschatis*, et nocte praecedenti, quae diei
Sabbati huius initium erat, coena *Paschalis* ab iisdem ce-
lebrata esse debuit. Id quod adfertur a BOCHARTI
obiectione etiam vindicat.

6. Sententiae huic adeo ipse RVSIUS subscri-
psit, quando sententiae suae, (quod CHRISTVS
eodem die, et eodem diei illius articulo una cum iudaeis
statuto tempore paschalem agnum comederit, videatur T.
III. *Harmoniae Evangelistarum* ab se adornatae p. 531.)
immemor libro citato p. 138. adseruit: *Notatu dignis-
simus est ille temporis diei huius articulus, quo obiit*

IESVS - - - - - *Erat hoc idem illud tempus, quo FLAVIO IOSEPHO teste L. VII. de bello iudaico Cap. XVII. f. 968. (edit. Ittigianae) Pascha mactari consuevit, quem iugulatum ait ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μετὰ τὴν ἑδέκατην - - - - - eodem igitur tempore mori voluit hic agnus DEI, baiulans peccata mundi, Ioh. I, 29. omnium sacrificiorum, adeoque et iugis antitypus, et noster agnus paschalis, quo iugulabatur agnus vespertinus quotidianus, et agnus paschalis Iudaeorum, ut et hic iis se adumbratum testaretur.*

7. Equidem RVSII vindicias in se suscepit HERMANNVS in *Historia concertationum de pane azy-mo et fermentato in coena Domini variis commentationibus explanata*, p. 218, et me accusauit, temere me negasse, RVSIVM sibi ipsum constitisse, nodumque in scirpo me quaesivisse. RVSIVM enim non de ipso die emortuali, sed illo diei articulo, qui singulis diebus redierit, verba fecisse, atque in illo horarum consensu peregregium typi cum antitypo concertum obseruasse. At vero, quin quis praeter HERMANNVM RVSII verba hunc in modum interpretetur, non sine iure dubitauerim. Et quis litem dirimat erepto auctore, optimo verborum fuorum interprete?

8. CHRISTO paschalis agni antitypo omnino congruum erat, eo ipso die mortem subire, quo typus eius hactenus mactatus fuerat, et ad eum vsque diem immolabatur.

9. Ipsi denique iudaei in *Talmude*, Tr. *Sanhedrin*, c. VI. fol. 43. col. I. fatentur: *In vespera paschatis*, h. e. *qua pascha immolabatur, suspenderunt CHRISTVM. Id quod*

quod testimonium ab obiectione vindicat IKENIVS
Diff. I. c. V. §. 7. p. 55.

§. IX.

Erutis igitur hisce *circumstantiis* eliciendae conclusioni locus est in qua illae conspirent omnes, et quarum consensus deficienti expressio testimonio aequipolleat. Mihi autem ex praemissis nihil aliud confesqui videtur, quam, *ut neque cum iudaeis, neque per fictam quandam anticipationem paschalem agnum comederit*
 CHRISTVS.

§. X.

Namque iudaei demum XIV. die ad occasum vergente paschalem agnum mactare, et exorto die XV. comedere debebant. Docente *circumstantia prima*. Sed imminente diei XIV. exitu iam obierat CHRISTVS. Docente *circumstantia quinta*.

§. XI.

Neque vero *iudaeis citius* paschalem agnum comedere potuit; quia sacerdotibus arbitris in templi atrio praeparandus erat: videatur *circumstantia secunda et tertia*, neque eodem iure citius *uti voluit*, secundum *circumstantiam quartam*.

§. XII.

Concludamus igitur necesse est: *paschalem agnum coenae CHRISTI plane haud appositam, illamque non nisi pro vulgari, et ordinaria coena habendam esse*.

§. XIII.

§. XIII.

Hanc autem conclusionem *demonstrationi* parem esse nobis non immerito persuademus. *Demonstratio enim est series propositionum inter se ita connexarum, ut de earundem veritate, dum recte attendimus, conuincamur.* Docente SCHRAMMIO in dissertat. de *demonstratiua scripturam sacram interpretandi methodo.* Helmstadii 1729. habita. Atqui in conclusione nostra sibi inuicem respondere, et inter se connexas esse erutas circumstantias sat superque nos quidem euicimus. Quamobrem neque veritatis, neque demonstrationis gloriam ipsi dubiam reddet vilis.

§. XIV.

Quae cum sententia nostra non statim conciliari possint; de illa meditantibus in mentem ventura esse facile largimur; sed positis certis concludendi principiis, et deducta ex illis conclusione, facile discuti posse eo facilius credimus, quae sententiae nostrae aduersari videbantur. Manebit saltem sententia nostra firma et illaesa, donec ex falsis principiis eam deductam esse probabitur.

§. XV.

Dicent enim primo loco, quod *vespera illa, qua coenam suam σαββάσιμον* ederet CHRISTVS, ἡ πρώτη ἡμέρα τῶν αἰσχυρῶν, ὅτε τὸ πιάγμα ἐδύον MARCO cap. XIV. v. 12. et LVCAE cap. XXII, 7. dicatur: *Regero autem, quod docente BYNABEO de morte CHRISTI L. 1. cap. IV. §. 2. p. 457. integer XIV. mensis Nisan pro primo festi die fuerit habitus, propter praeparationem ad initans festum a DEO praeceptam.* LVCA facem

facem praeferente, diem hunc describendo: ἐν ἡ
 ἡμέρῃς θύεωδαι, non φαγέτω τὸ πάσχα. RELANDVS
 L. c. p. 395. docet: *Quod ipse XIV. dies Nisan appel-
 letur primus dies azymorum, intelligendum id esse, se-
 cundum canonem Iudaeorum, scilicet in sacris comeden-
 dis diem praecedere noctem; sic ut tempus vespertinum
 diei XIV, et nox subsequens hoc modo diei XIV accen-
 seatur.* Conf. DEYLINGIVS p. 247.

§. XVI.

Multo magis obiiciunt, quod discipulos suos pa-
 schalem agnum praeparare iusserit CHRISTVS,
 Marci XIV, 13. At vero, licet praeparationem
 omnino iusserit, tamen, quum ante definitum tem-
 pus, quo paschali agno vesci debebant iudaei, ca-
 ptus, damnatus, et ad crucem actus fuerit CHRIS-
 TVS; causa est in promptu, ob quam hac vice Pa-
 scha celebrare illi non licuerit. Interim Pater sui
 mandato vel in eo morem gessit, vt cum reliquis
 iudaeis ad imminens festum se praeparauerit.

§. XVII.

Acrius instabunt: MARCVM cap. XIV, 16.
 recensere, discipulos praeparasse Pascha. Sed ipsam
 paschalis agni mactationem, assationem, et esum
 nondum exprimit illa dictio. Plura paschalis agni
 mactationi, et vsui praemittenda erant. Parandum
 erat exteris conclae; expurgandum erat conclae;
 ponendae mensae, parandi erant panes ἀζυμοι, or-
 dinandi lecti accubitorii pro numero conuiuiarum,
 emendus erat agnus, u. τ. λ. Ea igitur officia obie-
 runt discipuli, quae per illum diem iis licuerunt.

E

§. XVIII.

§. XVIII.

Sed haec dicta *causae desperationem prodere, iisque nihil frigidius legi posse* adfirmat. IKENIVS Disp II. P. I. Cap. II. §. 3. p. 10. Ad prius enim, (quod §. XVI. scripsimus) inquit, quod attinet, cum *Servatori tempus passionum minime ignotum esset, eiusque diem ante designaverit. Vid. Matth. XXVI, 1, 2. quid fuisset haec nisi theatralis pompa, iubere, ut discipuli Pascha pararent, seque una cum illis ad eius comestionem praeparare, quod tamen perspectum habebat, minime a se comedendum esse? in primis, cum Servator non nude parari illud voluerit, sed, ut id comederet. Marci XIV, 14. Lucae XXII, 8. Nouum haec pondus accipere intelliget, qui attendet praeparationem hanc, si Servator sequenti die iam in vinculis esset, frustra fore; si vero extra vincula maneret, non solum postridie adhuc fieri potuisse, sed ex more gentis potius faciendam fuisse. Quaenam igitur ratio dari, aut cogitari potest, quare Servator integro die citius, quam necesse, aut moris erat, praeparationem ad Pascha nunquam a se comedendum fieri iuberet? At enim vero perpendat, velim cl. IKENIVS, ut ad ea, quae postremo loco opposuit, primo loco respondeam, CHRISTVM, qui in vrbe HIEROSOLYMOREVM propriis aedibus caruit, praeparationem illius incolis maturanda praeparatione opus habuisse. Quippe quae exteris longe plures curas, et molestias creabat. Rationem igitur perspiciet IKENIVS per quam CHRISTVS non solus, et vnus, sed aequae ac alii innumerum iudaei iam sub XIII diei finem ad celebrandum festum se accinxerit. Equidem praeparatione illa*

illa superfedere potuisse CHRISTVM autumat, imminētis mortis suae omnino praesciura. Sed vero cui nostrum actionum, quas patrauit CHRISTVS, singularum rationes peruestigare liceat? Quod si faltetm instituta praeparatione monstrare voluisset, se, nisi violentas manus sibi intulissent iudaei paratum omnino fuisse paschali agno vesci; superflua certe, et consilii expers nequaquam dici posset illa actio. Sed forte aliis quoque causis, quae nos quidem latent, inductus fuit Seruator, ob quas ad festum celebrandum se praeparauerit. Nec minus alterum, (quod nos ad obiectionem §. XVII. respondimus,) ita comparatum esse adserit celeb. IKENIVS, vt eiusdem causae infirmitatem vltro arguat. *Primo enim haec explicatio genio, et sensui phraeos, ἐτοιμάζειν τὸ πάσχα, qua toties in hoc negotio vtuntur Euangelistae, plane repugnat. Scilicet vox πάσχατος praeter propriam, quae Hebraeae פסח transitum denotanti competit, duas tam apud iudaeos, quam scriptores Noui Testamenti significaciones habet, dum vel festum, vel agnum in festo hoc solemnī ritu maētari solitum, innuit. Prior huc plane non quadrat: praeterquam enim, quod inaudita phrasis esset, ἐτοιμάζειν ἑορτὴν, praeparare festum, pro, praeparare, quae ad festum rite celebrandum faciunt, non de festo ipso, sed de eo, quod comedendum erat, agno scil. agitur, Matth. XXVI, 17. Marci XIV, 12. Quod si igitur per Pascha, hic agnus paschalis intelligi debeat, quo pacto quae so phrasis ἐτοιμάζειν τὸ πάσχα non maētationem ipsamque assationem agni, sed talia, quae maētationem praecesserunt, qualia sunt expurgatio conclauis, positio mensarum, paratio panum azymorum, ordinatio lectorum accubitoriorum pro numero*

mero conuiuarum etc. innuet? Sane verbum ἐτοιμάζειν saepe cum nominibus animalium, vitulorum, agnorum etc. coniungitur, verum tum semper actionem denotat, quae circa ipsum animal, vitulum aut agnum eiusque praeparationem in cibum versatur, per mactationem, excoriationem, mundationem, coctionem, assationem, etc. - - - Quod si forte emptio, aut quocunque modo facta acquisitio agni, hic quodammodo in censum venire queat, difficulter tamen credo aliquis idoneis exemplis ostendet, illam solam, exclusa ipsa praeparatione in cibum, phrasi hac indicari. Magno autem horum verborum adparatui opponimus, nos eo quidem sensu verbum ἐτοιμάζειν accepisse, quem paschalis agni ratio poposcit, qui non tantum emendus, mactandus, et assandus erat; sed circa cuius usum alia longe plura obseruanda erant. Quas circumstantias omnes vno verbo ἐτοιμάζειν comprehendendi diximus; praeparatione in cibum nequaquam exclusa. Quae vero cum non citius nisi sub XIV diei occasum locum inuenerit, hinc ante coenam CHRISTI εὐχαριστήριον, sub auspiciis huius diei habitam non potuit suscipi.

Secundo, inquit IKENIVS, diferte testari Evangelistas, praeparationem talem indigitari, quae in ipsa mactatione animalis, et vltiori paratione consistit. Ita enim asserit Lucas XXII, 7, 8. Venerat autem dies azymorum, quo oportebat Pascha mactari. Et misit Petrum, et Iohannem dicens, Prosciscientes praeparate nobis Pascha, ut comedamus - - - Discipuli etiam interrogant Seruatorem non solum, ubi vis, ut praeparemus tibi Pascha? sed ubi vis, ut praeparemus tibi

tibi *Φαγῆν* comedere Pascha? Marci XIV, 12. *Ex* quibus omnibus sole meridiano clarius patescit, praeparationem talem intelligi, qua ipse agnus in cibum parandus erat, ut comedi possit. Sed meminisse debebat celeb. IKENIVM, 1) CHRISTVM non dicere, se eo ipso die, quo discipulos ablegabat, paschalem agnum comedere velle. 2) Apostolis eius, eo facilius in mentem venire potuisse, quod vna secum paschalem agnum comesturus sit CHRISTVS, quo difficilius credebant, eum passurum et moriturum esse. Quibus probe perpensis tanta luce IKENII sententia nondum radiat, quam oculis eius adparuisse nobis persuadere satagit.

§. XIX

Sed vero CHRISTVM etiam vesperi venisse, et cum discipulis accubuisse, imo edisse, obiciunt a nobis dissentientes. Vid. IKENIVS l. c. p. 13. Salua tamen eo vsque manet sententia nostra, donec ostenderint aduersarii, quod paschalem agnum actu comedis dicatur CHRISTVS. Edisse cum discipulis suis, perhibent Euangelistae; quod autem paschalis agnus mensae fuerit adpositus; quod paschalem agnum comederit ab Euangelistis neque verbis adferitur, neque ex circumstantiis, quas recensent, coniciere licet.

§. XX.

Nouum paratur telum: CHRISTVM, inquit, Lucae XXII, 15. discipulis suis adfirmare; se desiderio flagrare, τῆρο τὸ πάροχα Φαγῆν. Enimuero neque in hisce verbis concludendi vim adsequi possumus,

fumus, quod paschalis agnus, qui per diuinæ legis præscriptum sub finem demum huius diei mactari, et ingresso postero die comedi debebat, iamiam mentæ fuerit adpositus. Equidem CHRISTVS *flagrantissimum suum desiderium agno vescendi declarat; huius autem desiderii se non compotem fore, prædicit v. 16. Consentit DEYLINGIVS l. c. p. 248. Forte ex eodem adfectu illud desiderium oriebatur, ex quo internos animæ suæ cruciatus in horto deprecabatur, Matth. XXVI, 39.*

§. XXI.

Imo neque tum euacuata est pharetra; sed obiciunt nobis porro *hymnum peracta coena a CHRISTO, vna cum discipulis suis decantatum* Referente MATTH. XXII, 30. et MARCO XIV, 26. *Illum vero hymnum adserunt HALLELV IAH illud, siue HALLEL illud magnum fuisse; quod sex Psalmis DAVIDIS, scilicet inde a Psalmo CXIII. vsque ad CXVIII. constiterit, et post poculum quartum, vel quintum, vti aliis videtur, (docente celeb. ZEBICHIO in diff. de cantione solenni in prima paschalis NOCTE APVD HEBRAEOS recepta, Vitemb. 1740. §. 15. et l. reu. WALCHIO in dissertat. de hymnis Ecclesiae Apostolicae. Ienae 1737. §. 3. sequ. nec non TRESSENREVERTERO l. c. Cap. I. §. 10. et Cap. II. §. 2.) a iudæis non ad diuinum mandatum, sed maiorum suorum placita cantari solitum fuerit. Atque ex eo concludunt, CHRISTVM necessario paschalem agnum comedis, quum consueto hymno paschali vsus fuerit. At vero tunc feriet, ac percutiet sententiam*

tentiam nostram telum illud, quando *vel* probatum dederint illud vibrantes, quod verbum *ipav* tam angustioris significationis fit, quam quod vltos alios hymnos praeter *Hallelu Iah* illud magnum indiget: *vel*, quod CHRISTVM citatos *Psalms* cantare dedecuerit, quamuis paschalem agnum non comederit, qui sub finem huius ingressi diei demum ma-
 ctandus erat. Praeterea si verum est, quod ZEIBICHIVS docet, *iudaeos Hallelu Iah* illud post quartum, *vel* quintum poculum iam cantasse; quo iure quis credat, cantilenas illas, quibus absoluta demum coena, et instituta coena mystica, siue sacramentali usus fuisse dicitur CHRISTVS, *Psalms* illos a DAVIDE compositos fuisse?

§. XXII.

Sufficiant haec respondisse ad obiectiones, quas partim praecuidere, partim legere huc vsque nobis licuit. Gratum nobis exhibebit officium, quicumque grauiora forte momenta, sententiae nostrae inimica nobiscum communicauerit. Meliora enim edocti, mentem nostram mutare, et palinodiam canere promptissimis erimus promtiores. Hinc

- - - Si quid rectius istis
 Noris, imperti, vel dictis vtere nostris.



CONSPECTVS COMMENTATIONIS.

- §. I. *Multum de coena Christi ultima in utramque partem disputatum est inter eruditos.*
- §. II. *Celeb. OEDERVS in vulgarem insurgit sententiam, demonstraturus, coenam Christi ultimam fuisse vulgarem et nequaquam paschalem.*
- §. III. *Cuius argumenta sunt examinanda.*
- §. IV. *Instituti rationem exponit.*
- §. V. *Dissentientium sententias per quatuor classes sistit.*
- §. VI. *Insignis hac in materia datur opinionum fluctuatio.*
- §. VII. et VIII. *Circumstantiae V. huius ultimae coenae Christi, a scriptoribus sacris recensitae, plenius edisseruntur.*
- §. IX. *Ex quibus colligitur, Christum neque cum Iudaeis neque per fictam quandam anticipationem paschalem agnum comedisse.*
- §. X. *Christus XIV. die Mensis Nisan mortem obiit, sed Iudaei agnum paschalem die XV. comedebant.*
- §. XI. *Nec citius Iudaeis paschalem agnum comedere potuit.*
- §. XII. et XIII. *Inde concluditur ordinariam coenam fuisse.*
- §. XIV. - - XVII. *Dubiis potioribus contra hanc sententiam motis responderetur.*
- §. XVIII. *Celeb. IKENII dubiis obuiam itur.*
- §. XIX - XXI. *Reliqua dubia propelluntur.*
- §. XXII. *Conclusio.*

64199

AB 64 199


ULB Halle 3
001 970 631




TA → 2c

VD 17







ae

30

GOTTLOB FRIDRICI GVDII, AA. M.

V. D. M. LAVBAE LVSATORVM

DEMONSTRATIO HERMENEVTICA

QVOD

CHRISTVS

IN COENA SVA

ΣΤΑΥΡΩΣΙΜΩΙ

AGNVM PASCHALEM

NON COMEDERIT

RECUSA

ET AB OBIECTIONIBVS

VIRI CELEBERRIMI

CONRADI IKENII

S. TH. D.

EIVSDEMQUE IN ILLVSTRI BREMENSIVM LYCEO

PROF. P. O. ET AD AEDEM S. STEPHANI

PASTORIS PRIMARIJ

VINDICATA

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.